

ita ad gloriam non pervenies, nisi gratiam possideas.

Altera exterior, quæ consistit in bonis operibus, et observatione mandatorum. De hac Christus, dixit: *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus.* Justitia autem Dei vocatur, quia fundatur in Christi meritis et Dei promissione, ita ut his suppositis, ex justitia debeatur ei regnum Dei. Atque hæc est illa pecunia, qua emitur regnum Dei; hoc viaticum, quo ad regnum Dei pervenitur. Sine hac frustra ad forum itur, ad patriam non venit. Duæ igitur hæc justitiæ, duæ sunt quasi alæ, quibus ad cælum volatur: duo sunt latera scalæ, quam vidit Jacob a terra ad cælum pertinentem, quando ei Deus ostendit regnum Dei, Sap. X.

Quare, auditores, hæc sit nostra prima cura et maxima sollicitudo, quærere regnum Dei et justitiam ejus. Et vero mihi ipsi persuadeo, quæsituros vos in posterum regnum Dei magis impense quam hactenus sit factum, ex quo abundare cœpistis frugibus, ut jam pro alimento nihil solliciti esse debeatis. Itaque attendamus nos ad salutem nostram æternam, et Deus providebit nobis de temporalibus subsidiis. Sic enim se obligavit nobis in hodierno evangelio; velut si pater diceret filio: *Vade tu ad scholam, et cura, ut proficias, ego tibi vestes et alimenta procurabo, aliaque necessaria.* Dominus paciscitur cum servo de mercede annua dumtaxat, de cibo et potu non fit mentio, quia hæc per se intelliguntur servo præstanda esse: ita si serviamus Deo, et quæramus primo regnum ejus, certo dabit nobis victum et amictum. Nihilominus, ne diffidamus voluit hoc in pactum expresse deducere in hoc evangelio, ergo, etc.

CONCIO IX.

MYSTERIA.

- I. Quomodo nemo potest duobus dominis servire? — II. Unde ostenditur Deum esse supremum nostrum Dominum? — III. Quomodo Deus vocatur Pater noster? — IV. Quæ sollicitudo prohibetur? — V. Cur remittit nos Christus ad creaturas irracionales? — VI. Quodnam Dei regnum ante omnia quærendum?

THEMA.

Ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis.
Matth. VI.

Non est, auditores, par omnino ratio panis corporalis et panis spiritualis, qui est justitia seu mandatorum observatio. De priore enim

præcipit Dominus ad initium evangelii: *Ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis:* de posteriore vero ad finem evangelii: *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus.* Panis ergo corporis quærendus quidem est, sed sine sollicitudine: panis vero animæ sollicite est quærendus; quod etiam alibi sæpe inculcant nobis sacræ litteræ; veluti Deut. XXIV. *Facies quæcumque docuerint te sacerdotes levitici generis, juxta id quod præcepi eis, et imple sollicite:* et Jos. XXIII. *Estote solliciti, ut custodiatis cuncta, quæ scripta sunt in volumine legis Moysis.* Panem corporalem cum sollicitudine comedere, pœna et afflictio est, ut prædixit Ezech. cap. XII. Hebræis obsidione et fame premendis: *Panem suum cum sollicitudine comedent:* panem vero spirituales sollicitudine comedere, magna Dei gratia est. Quoniam igitur Dei justitia sollicite quærenda est, pari lege verbum Dei sollicite quærendum, sollicite et audiendum est, siquidem in illo continetur voluntas Dei. Hoc ergo nunc agamus.

I. Quomodo nemo potest duobus dominis servire? Resp. dictum Christi intelligendum de duobus dominis sibi non subordinatis adeoque a se mutuo non dependentibus. Id ergo verum est primo, de dominis dissidentibus seu contraria præcipientibus; cujusmodi sunt Deus et mammona vel diabolus. Siquidem Deus præcipit se amari, mammona vero se: Deus præcipit dare eleemosynam, mammona vero prohibet: Deus præcipit festos dies observari, mammona vero jubet illis diebus mercari, nundinari, navigare.

Par ratio est de dæmone. Unde Lyranus in hæc Matthæi verba ait: *Cor humanum non potest simul capere Deum et diabolum; sed suscepto diabolo per peccatum, exit Deus: suscepto Deo per charitatem, exit diabolus.* Idem in regibus hujus sæculi dissidentibus videre est. Hinc enim Alexander M. rogatus a Dario, ut secum imperium divideret, respondit: *Sicut mundus non fert duos soles: ita nec terra duos reges.* Quare aut te mihi subde, aut in crastinum aciem para. Paravit et cæsus regnum Alexandro cessit.

Secundo, de dominis non contraria quidem, diversa tamen imperantibus, ita tamen ut ex æquo utrique serviatur, et pari affectu uterque ametur. Quia, ut Maldonatus ait hoc loco, natura ipsa prohibet, ut amor distrahatur in diversos dominos, quemadmodum nec mulier duos maritos habere potest, quos æque simul amet, etiamsi contraria non præcipient. Hinc Ausonius: *Duo, inquit, socios non recipiunt, amor et principatus:* et tragædus: *Nec regna socium ferre, nec tedæ (conjugia) sciunt.* In hunc sensum dicitur Isa. XXVIII. *Coangustatum est stratum, ita ut*

alter decidat, et pallium breve utrumque operire non potest. Vult dicere Deus: Vos, o Judæi, præter me sponsum vestrum, alium admittitis amatorem, idola seu verius diabolium in idolis habitantem. Non potestis duos habere sponso, angustum est stratum cordis vestri, alter decidat necesse est. Eodem modo apostolus probat, non licere fidelibus comedere de idolothytis, 1. Cor. X. cum ait: *Non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum.* Atque hoc indicat Dominus; siquidem non dixit: *Nemo potest duos dominos habere, sed: Nemo potest duobus dominis servire,* pari scilicet affectu.

II. Qua ratione ostendit, Deum esse supremum nostrum Dominum, cui servire obligemur? Resp. non una sed pluribus. Primo, quia est ens supremum et dignissimum infinito intervallo omnium creaturarum perfectiones excedens. Quando autem una natura alias magno intervallo superat, jure naturali eis dominatur. Ita ignis elementis cæteris: sol stellis: homo potentia, sapientia, opibus cæteros longe præcellens, jure eis imperat. At inter Dei et hominum perfectiones, nobilitatem, sapientiam, potentiam, pulchritudinem, opulentiam, etc. tanta est distantia, ut nulla omnino sit proportio. De jure igitur naturali homo ei servit.

Secundo, quia homines, uti et aliæ creaturæ, ab ipso creati sunt. Quod autem quisque condit in suo territorio, hoc jure etiam possidet. Hinc Ps. XCIV. dicitur: *Ipsius est mare, causamque subdit: Et ipse fecit illud: rursum, Actor.* XVII. ait Paulus: *Deus qui fecit mundum, et omnia quæ in eo sunt, hic cæli et terræ cum sit Dominus.* Accedit D. Bernardus de quadrup. debito: *Creator, inquit, tuus est, tu creatura: tu servus, ille Dominus: ille figulus, tu figmentum: totum ergo quod es, illi debes a quo totum habes.* Quare non solum nos, sed omnia etiam nostra ei debemus, quia ab eo accepimus. Ita enim ipse Aggæi II. ait: *Meum est argentum, et meum est aurum.* Ex quo concludit D. Augustinus, ho. XXX. inter l. non tam de bonis nostris, quam de rebus Dei facere nos eleemosynam. « Deus, inquit, vere et proprie suum dicit esse aurum et argentum, quod et largissima bonitate condidit, et justissimo administrat imperio, ut sine ipsius nutu ac dominatu nec mali nisi ad avaritiæ supplicium, nec boni nisi ad usum misericordiæ, possint habere aurum et argentum. »

Tertio, quia cum per peccatum periissent, ab ipso redempti sunt. Hinc apostolus, 1. Cor. VI. ait: *Non estis vestri, empti enim estis pretio magno,* Temporales ille cruciatus lubens volens sustinuit ne nos æternos sustineremus, sumus ergo illi

obnoxii velut servi emptitii. Unde Bernardus de dilig. Deo ait: « Si totum me debeo pro me facto, quid addam jam pro relecto, et pro relecto hoc modo? Nec enim facile relectus quam factus: » et paulo post. « In primo opere me mihi dedit, in secundo se et ubi se dedit, me mihi reddidit, datus ergo et redditus me pro me debeo, et bis debeo. Quid Deo retribuam pro se? Nam etiamsi me millies rependere possem, quid sum ego ad Deum? »

Quarto, quia præcepit nobis, ut ei serviremus, proposito etiam immenso præmio; denique, nos in baptismo fidem ac servitatem ei promisimus. Est enim baptismus pactum hominis cum Deo initum, de instituenda vita sanctiore ac puriore ad Dei cultum. Unumquodque horum, vel per se solum sufficit, ut nos obliget ad serviendum Deo. Si enim hoc mandasset solum Deus, jam servire ei deberemus; licet nihil mercedis promisisset, (quia est absolutus noster Dominus) licet etiam in baptismo nihil cum eo pacti essemus.

Has igitur ob causas respectu hominum potissimum vult appellari Dominum, ut ex S. Scriptura luculenter patet, quæ, ut observavit Tertullianus contra Hermogenem, non prius Domini titulo Deum nuncupavit, quam condidisset hominem. Cælum creavit et in eo angelos, aerem et in eo volucres, mare et in eo pisces, terram et in ea animantia, quorum omnium licet revera esset Dominus, non tamen nisi Deus appellari voluit. At ubi ad hominis creationem deventum est, tum ait sacer textus: *Formavit igitur Dominus Deus hominem, etc.* Gen. II. quia nimirum voluit illum peculiari ratione sibi subjectum, monens interim eum, ut ne alium sibi Dominum præter ipsum eligat.

III. Qua ratione Deus vocatur etiam Pater noster? Sic enim semel atque iterum appellatur a Christo in hodierno evangelio. Resp. plures etiam ob causas. Primo, Pater noster est creatione. Unde Moyses, Deut. XXXII. ait: *Numquid non ipse est Pater tuus qui possedit te et fecit, et creavit te?* q. d. ideo possedit te velut pater filium, quia fecit et creavit te. Parentes dant nobis corpus, imo corporis sementem dumtaxat, non animam; Deus dat nobis et infundit animam, formatque et augmentat corpus. Jam: *Si parentes, inquit S. Ambr. I. de fuga sæculi, quia nos genuerunt, amamus; quanto magis diligere debemus creatorem, parentem factoremque nostrum?*

Secundo, pater est educatione. Solemus et illos appellare ac colere velut patres nostros, qui a teneris annis nos educarunt ac nutrierunt, licet revera non genuerint nos. Atqui Deus est,

qui dat escam omni carni: *Et solem suum oriri facit super bonos et malos, pluitque super justos et injustos*, quæ duo beneficia, sol, inquam et pluvia, duo potissimi coqui sunt, quorum ministerio nos nutrit. Nec vero qualicumque, sed filiali ratione educat, blande, misericorditer et liberaliter: *Quomodo miseretur pater filiorum*, Ps. CII. Portat et custodit per angelos custodes velut per nutrices: quomodo aquila pullos super alas suas, Deut. XXXII. Curam quoque de nostro salute et incolumitate habet; unde Christus se gallinæ comparat, quæ congregat pullos suos sub alas, ne rapiantur a milvo, et præ cæteris avibus magis sollicita est de pullis suis, Matth. XXIII. Denique: *Etsi oblita fuerit mater infantem suum, ego tamen non obliviscar tui*, ait Isa. XLIX.

Tertio, pater est instructione et correctione. Jure etiam præceptores nostros vocamus patres nostros; quia patres quidem dant vivere, præceptores dant nobis bene vivere: illi gignunt, isti efficiunt: illi exsculpunt, isti variis scientiarum et virtutum coloribus pingunt nos. At hoc ipsum Deus partim mediis magistris nostris, partim se ipso facit. Ipse donat prædicatores et præceptores idoneos, ipse inspirat bona desideria, ipse mentem intus illuminat, ipse etiam variis modis castigat, et: *Flagellat filium, quem recipit*, ad Heb. XII. *Quem diligit Dominus, corripit, et quasi pater in filio complacet sibi*, Prov. III. Displicet ei vitium filii, placet emendatio ejusdem, inde secutura.

Quarto, pater est dotatione et plurimum honorum cumulatione. Eo videntur proprie pertinere verba Moysis supra citata: *Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te?* Loquitur enim de Hebræorum, et in figura de Christianorum exaltatione speciali; quos primo, *possedit*, (Hebr. *emit*, redimendo ab Ægypti servitute;) deinde, *fecit* seu formavit in monte Sinai, per legem suam; denique, *creavit* (Hebr. *formavit*) stabilivitque in regno. Atque hæc ingratum Judæis exprobrat per Isaiam, cap. I. *Filios enutrivit*, inquit, *et exaltavi, ipsi autem spreverunt me*. Nutrivit non solum in terra Gessen, et manna in deserto, sed et lege et prophetiis, libris sacris, monitis, promissis. Exaltavit opibus, miraculis, victoriis, regno, templo, aliisque donis præ omnibus nationibus: at longe his præstantiora præstitit Christianis, uti patet; viderint ergo, ne et ipsis dicat: *Filios enutrivit, etc.*

Quinto, pater est hæreditatis provisione, et quidem cælestis atque æternæ. Etenim: *Regeneravit nos in spem vivam et in hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem, conservatam in cælis*, I. Pet. I. *Quod si igitur filii eri-*

mus, et hæredes, inquit apostolus ad Rom. VIII. Atque ex his apparet, quanto jure Deum veneremur velut patrem. Certe olim mortales, etiam Judæi, non fuerunt ausi Deum appellare *patrem*; *Dominum* appellabant, quia nimirum Deus creatore illud intonabat: *Ego Dominus*. « Et nusquam invenitur, inquit August. I. II. de serm. Dom. e. VIII. præceptum populo Israel, ut diceret: Pater noster, ut oraret Patrem Deum, sed Dominus eis insinuatus est, tamquam servientibus, id est, secundum carnem viventibus. » At in lege nova, quia se longe blandiorem ac munificentiorum exhibuit fidelibus, Pater ab iis vocari voluit, ut coleretur, non jam velut dominus a mancipiis, servili scilicet timore, sed tamquam pater a filiis, timore filiali seu amore. Unde Petrus Chrysologus, serm. LXXVII. ait: *Qui judicem mutavit in patrem, amari voluit, non timeri. Utatur (ergo) voce novi testamenti populus novus*, inquit Augustinus, loco cit. c. IX. *ad æternam hæreditatem vocatus*.

IV. Quæ sollicitudo circa temporalia prohibetur hic a Domino? Respondet ad hoc D. Thomas, I. II. q. CVIII. art. III. « Dominus sollicitudinem necessariam non prohibuit, sed sollicitudinem inordinatam. Est autem quadruplex inordinatio sollicitudinis vitanda circa temporalia. »

Primo: « Quidem, ut in eis finem non constituamus, neque Deo serviamus propter necessaria victus et vestitus, unde dicit: Nolite thesaurizare vobis, etc. »

Secundo: « Ut non sic sollicitemur de temporalibus cum desperatione divini auxilii, unde Dominus dicit: Scit Pater vester, quod his omnibus indigetis. »

Tertio: « Ne sit sollicitudo præsumptuosa ut scilicet homo confidat, se necessaria vitæ per suam sollicitudinem posse procurare absque divino auxilio: quod Dominus removet per hoc, quod homo non potest aliquid adiecere ad staturam suam. »

Quarto: « Per hoc, quod homo sollicitudinis tempus præoccupat: quia scilicet de hoc sollicitus est nunc, quod non pertinet ad curam præsentis temporis, sed ad curam futuri, unde dicit: Nolite solliciti esse in crastinum. » Hæc D. Thomas, loc. cit. Porro quod sit esse sollicitum in crastinum, explicat q. CLXXXVIII. a. VII. ad II. in hæc verba: « Quod ergo dicitur: Nolite solliciti esse in crastinum, secundum Hieron. (gl. ord. ad finem, c. VI. Matth.) sic exponitur: Sufficit nobis præsentis temporis cogitatio: futura, quæ incerta sunt, Deo relinquamus. Secundum Chrysos. sic (hom. XVIII. in Matth. op. imperfect.) sufficit labor, quem pateris propter necessaria, noli de superfluis laborare. Secundum

August. sic: « Cum aliquid boni operamur non temporalia, quæ significantur per crastinum, sed æterna cogitemus. » Sic ille. Eodem pertinet, quod II. II. q. LV. a. II. scribit: « Si quis tempore ætatis de vindemia jam esset sollicitus, superflue præoccuparet futuri temporis sollicitudinem. » Unde hujusmodi sollicitudinem tamquam superfluum Dominus prohibet, dicens: Nolite solliciti esse in crastinum. »

Quinto: « Alio modo, inquit idem doctor alibi (II. II. q. LV. a. VI.) potest esse temporalium sollicitudo illicita propter superfluum studium, quod apponitur ad temporalia procuranda, propter quod homo a spiritualibus, quibus principaliter inservire debet, retrahitur. Et ideo dicit, quod sollicitudo sæculi suffocat verbum. »

Sexto: « Ex parte timoris superflui, quando scilicet aliquis timet, ne faciendo quod debet necessaria sibi deficient, etc. » Ita D. Thomas. Habemus ergo, tunc prohiberi sollicitudinem; primo, cum temporalia quærentur ut finis: secundo, cum superfluum in iis quærendis studium adhibetur: tertio, cum quis ea sic quærit, quasi non a Deo expectet, sed suis dumtaxat viribus acquirere velit: quarto, cum intempestive circa ea quærenda se occupat, adeoque ante tempus anxius est: quinto, si superfluis abundare velit, et propterea sollicite labore: sexto, si per istam sollicitudinem abducatur a divino obsequio et suo munere: septimo, si nimio timore angatur, ne sibi necessaria desint.

V. Cur nos remittit Christus ad creaturas sensu et ratione destitutas, lilia et volatilia? Respond. primo, ut memores simus lapsus nostri de statu innocentie in peccatum. In illo enim statu sapientia excellissemus quemadmodum et Adam, neque opus fuisset eam nobis conquirere a creaturis irrationalibus; at in statu peccati ita excæcati sumus, ut a brutis et elementis discere debeamus. Quia: *Homo, cum in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis*, Psal. XLVIII. Nos ergo jam a brutis edoceri necesse est, quæ a nobis alioquin deberent edoceri.

Secundo, ad confusionem nostram; ut qui in

multis vincimur a creaturis irrationalibus in scientia et providentia, studio, labore, etc. Ita Jeremias confundit suos Hebræos exemplo illarum avium, quæ norunt et observant tempora sua, cum Hebræi non observent tempus visitationis suæ: *Milvus in celo, inquit, cognovit tempus suum: turtur et hirundo et ciconia custodierunt tempus adventus sui: populus autem meus non cognovit judicium Domini*, Jer. VIII. Sapiens, Prov. VI. mittit pigrum ad fornicam.

Tertio, ad instructionem nostram. Sunt enim creaturæ omnes quasi prima litterarum elementa a Deo nobis præscripta, ut ex earum qualitatibus, forma, industriis, actionibus disceremus quid nobis sit faciendum, et quantus sit noster Deus. Atqui hinc olim Ægyptii non habuerunt alias litteras præterquam creaturarum imagines, (uti adhuc Romæ videre est in aliquot obeliscis). Per illas enim creaturas, quarum naturas perspectas habuerunt, animi sui sensa expresserunt, seque invicem docuerunt.

VI. Quodnam illud regnum Dei, ante omnia quærendum? Resp. esse triplex, Ecclesiam, justitiam, cælum. Per primum transeundum est ad secundum: per secundum venit ad tertium. Primum igitur Ecclesia, quæ in evangelio sæpius appellatur regnum cælorum, ut alibi explicatum. Porro id necessario et ante omnia quærendum est; quia extra veram Christi Ecclesiam non est vera fides: sine fide nequit obtineri gratia et justitia, adeoque nec beatitudo.

De secundo scribit apostolus ad Rom. XIV. *Non est regnum Dei esca et potus; sed justitia, gaudium et pax in Spiritu sancto*. Vult dicere gratiam, per quam regnat Deus in cordibus nostris, esse inchoatum Dei regnum. Ex illa enim resultant in hominem tria maxima bona, quæ ipsum quodammodo beatum reddunt: justitia seu decor omnium virtutum, pax animi cum Deo et seipso, gaudium conscientie tuæ.

Tertium est regnum cælestis beatitudinis; de quo obtinendo certi et securi erimus, si duo illa priora ante omnia quæsierimus et in iis perseveraverimus.